

5

Guilielmum Abbatem: "Nobis autem convenientibus in unum (ut verbis Apostoli utar) jam non est Dominicam cœnam man-  
ducare. Panem quippe cælestem nemo est qui requirat, nemo qui  
tribuat. Nihil de Scripturis, nihil de salute agitur animarum, sed  
nugæ & risus & verba proferuntur in ventum. Inter prandendum  
quantum fauces dapibus, tantum aures pascuntur rumoribus,,  
quibus totus intentus modum nescias in edendo. Interim autem  
fercula ferculis apponuntur, & pro solis carnibus, à quibus absti-  
nectur, grandia piscium corpora duplicantur. Cumque prioribus  
fueris satiatus, si secundos attigeris, videberis tibi necdum gustâf-  
se pisces. Tantâ quippe accuratione & arte coquorum cuncta ap-  
parantur, quatenus quatuor aut quinque ferculis devoratis pri-  
ma non impediunt novissima, nec satietas minuat appetitum. Pa-  
latum quippe dum novellis seducitur condimentis, paullatim  
diffusere cognita & ad succos extraneos, veluti adhuc jejunum,  
avidè renovatur in desideria. Venter quidem, dum nescit, one-  
ratur, sed varietas tollit fastidium. Quia enim puras, (ut eas na-  
tura creavit) epulas fastidimus, dum aliæ aliis multifariè permi-  
scuntur, & spretis naturalibus, quos Deus indidit rebus, quibus-  
dam adulterinis gula provocatur saporibus, transitur nimis  
meta necessitatis, sed necdum delectatio superatur. - Videas uno  
prandio ter vel quater semiplenum calicem reportari, quatenus  
diversis vinis, magis odoratis quam potatis, nec tam haustis quam  
attactis, fugaci probatione & celeri cognitione unum tandem è  
pluribus, quod fortius sit, eligatur. Quale est autem illud, quod  
nonnulla monasteria ex more observare dicuntur, in magnis vi-  
delicet festis vina delibuta melle pigmentorum respersa pulveri-  
bus in conventu bibere? numquid & hoc fieri dicemus propter  
infirmitatem stomachi? Ego verò ad nihil aliud valere video, nisi  
ut vel amplius bibatur vel delectabilius. Sed cum venæ fuerint vi-

)( 3

no